

expositæ quædam quinque quæstiones, sed ad Pelagianos nihil  
pertinentes, & eorum nullam memoriam facientes.“

§. VI.

Vidimus hucusque Hincmarum argumentis sane non opti-  
mis neque validissimis disputantem, quod etiam GARNERIUS  
fatetur, imo, quod addere licet, loca Veterum non satis fide-  
liter allegantem; nunc argumenta contrariæ partis, & quæ  
Hincmarus adversus ea regessit contemplabimur. Recensuit ea  
GARNERIUS in Diff. VI. de scriptis adversus hæresim Pelagianam  
p. 253. ita tamen, ut post messem reliquerit aliquod Spicile-  
gium. Duæ autem sunt horum argumentorum classes, alia  
sunt historica, ex silentio petita, cui sane argumentandi rationi  
multum est ponderis tribuendum, si illi silent, qui librum ali-  
quem vel ignorare non poterant, vel non potuissent non al-  
legare, si ab autore, cui tribuitur, profectus fuisset; alia sunt  
conjecturæ ex ipso libro ejusque stilo & argumento vel prima-  
rio vel secundario depromptæ. Primum argumentum histori-  
cum, a Garnerio prætermisum, S. REMIGIUS & Ecclesia Lug-  
dun. in lib. de tribus Epistolis cap. 35. p. 124. edit. Maugvin.  
ita proponunt: „Adjungit etiam (Hincmarus) rem novam,  
„ & neque ex lectione, neque ex veraci aliqua traditione nobis  
„ hætenus compertam, quod scilicet B. Augustinus post omnes  
„ libros suos scripserit quendam libellum, quem Græco voca-  
„ bulo *Hypomnesticon* nominant, quod Latine *memoratorium*  
„ interpretatu. „ Idem Autores in libro de tenenda ve-  
ritate Scripturæ p. 204. edit. Maugvin. hæc ita repetunt:  
„ Neque ullus fere Ecclesiasticus Scriptor ejus (libri Hypogno-  
„ sticon) mentionem facere invenitur, & ideo falsa superscri-  
„ ptione titulatum minime dubium est „ & paulo inferius:  
„ neque in scriptis alicujus viri Ecclesiastici forte memoratus re-  
„ peritur. „ Verba hæc si advertisset Garnerius forte non scri-  
psisset